Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31304
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

tissimum solis illius ardorem cum tanta alacritate susciperent. ac si in orto
deliciarum suauissime flagrantia poma decerperent. uel in mensa lautio
ribus epulis plena conuiuarent. Inter hec ergo protensis in celum oculis ac ma
nibus gratias domino referebat. quod eum tam sancte multitudini quamuis indignum
et peccatorem coniunxerat. Dum hec et similia animo uolueret. et pre inmen
sitate leticie seipsum uix caperet. ecce subito apparuerunt ei tres quasi ma
trone uenerabiles. uultibus roseis. et candidis uestibus renitentes. Quarum
una que precedebat ueste fulgentior. forma uenustior. et statura procerior e
rat. Descendebant uero de monte propinquo. et appropinquabant conuentui fra
trum. in ipso montis latere fruges metentium. Quas cum ille uidisset.
pre nimia admiratione turbatus et obstupefactus. erupit in uocem huiusmodi.
Domine deus inquit que nam sunt iste femine tam formose tam reuer
ende. que preter aliarum consuetudinem feminarum conuentui nostro apparent.
Et dum talia diceret. astitit ei quidam ueneranda canicie. et stola can
dida coopertus. qui dixit ad eum. Maior illa que ceteras antecedit.
ipsa est uirgo mater ihesu christi maria. Alie que sequuntur. sunt sancta elizabet.
et sancta maria magdalena. Ille uero cum audisset matrem domini nuncupari. com
mota sunt omnia uiscera eius. super nominis illius pietate quam uehementer ama
bat. iterumque percunctatus est dicens. Et quo tendit domine mi. quo tendit
domina nostra. Cui ille respondens ait. Ad uisitandum messores suos
uenit. His itaque dictis. persona que loquebatur disparuit. Quo
uiso uir dei. plus magis intra se obstupuit. Et reductis oculis ad
sanctam dei genitricem et ad comites eius. attonito uisu intendebat in eas.